

Oleum Terræ Indis descriptum *Naubovio*, vix ad nos deductum, sed in *Asia* retentum à Regulis, an *Petrolei* vel *Naphthæ* species, haud ita certò definiam. Id verò quod ex *Indiis* venale ad nos desertur hoc titulo, parari ex oleo *Nucum Cocos* presso, atque terris medicatis commisto, me docuit vir harum rerum peritissimus; ideoque vegetantibus id omnino ascribendum. *Boerb. Chem.*

Hæc Bituminis genera non nisi secundum magis & minus differunt, ut quidam statuunt; ita ut pars ejus spirituosior & subtilior sit *Naphtha*, huic proxima *Petroleum*, crassior & sæculenta *Asphaltum*; non secus ac videmus & *Succino* per distillationem primò elici spirituosum & limpidum oleum, quod *Naphtham* repræsentat, mox oleum flavum & crassius, quod *Petroleum* simulat; demum materiam nigram & sæculentam, quod *Asphaltum*.

A. 10. *Pissellæum Indicum*, *Offic. Bitumen Barbadesse*, *Boerb. Chem.* Pix liquida *Barbadesensis*, *Pharmacopoliæ Lond.* Pix *Barbados*, *Boerb. Thesaur. Pharm.* 108. *Barbadoes Tar*. Ex *Insula Barbados* dicta adfertur; ubi sub aquis emergit, colore ex nigro rubescens, odoris gravis, consistentiæ picis liquidæ. *Vires*. *Pulmoniacum*, *Stomachicum*, & *Sudorificum* est.

Ex hoc Bitumine, addito olei *Anisi* tantillo, *Pharmacopoliæ nostri Londinenses Balsamum, Chilesis* nomine celebratum, conficiunt.

A. 11. *Succinum*, *Carabe Offic. Succinum Worm.* 31. *Charlt. Foss.* 14. *Boet.* 321. *Calceol. Mus.* 180. *Aldrov. Mus. Metall.* 403. *Mer. Pin.* 219. *Gæbel* 10. *Amber*. Nihil aliud est, quam succus bituminosus seu *Resina* terre optimè digesta, exindè in mare traducta, atque ibidem præcipuè concreta. Dum bituminosa illa substantia adhuc liquida est, varia sese involvere solent, ut *Muscæ*, &c. *Hookius* celeberrimus existimavit *Succinum* esse Gummi petrefactum arboris cujusdam, quæ nobis planè ignota est; & ad hanc sententiam confirmandum, inter alia argumenta, petrefactionem *Ligni* aliarumque substantiarum vegetabilium adducit. Hanc opinionem postea in lucem protulit *Reverendus Derhamius*, D. D. in *Experimentis Philosophicis*, p. 315. Cui astipulatus est *Thomas Bartholinus* in *Actis Medicis Hafn.* Vol. I. Obs. 57. & Vol. II. Obs. 122. Mihi verò *Succinum* minimè esse Gummi, aut arboris resina, quod hujusmodi arbor nulla planè visa est; nec petrefactum esse Gummi puto, quippe tale nihil, quod ego audiverim, usquam sit inventum. Præterea *Ligna petrefacta*, cæteræque materiæ vegetabilis *Igni* leni nihil mutantur; *Succinum* verò & ardet, & odorem mit-

tit, haud secus ac *Bitumen*, atque in cineres tandem resolvitur. Has igitur ob causas id esse *Bitumen fossile*, ut supra scripsimus, non dubito: eamque opinionem amplexus est clarissimus *Woodwardus*, cujus *Rationes* in *Historiam* meam *Harvicensis* inserui, p. 275, 276. uti etiam *Hartmannus* in *Succini Prussici Historia*, & *Bocconius Museo di Ficcio*, p. 32. Duo *Officinis* nostris eo nomine veneunt, *Album* sc. & *Flavum*, seu *Citrinum*; utrumque quamvis laudibus suis haud destitutum sit, attamen præstat *Album*, utpote magis digestum. Eligendum id ipsum candidum, sincerum, suavè fragrans. Huic succedit *Flavum*, quod præstat pellucidum, quodque præ aliis attritu suavemhalat odorem. *Vires*. *Calfacit*, *exiccant*, *roborat*, *astringit* leniter. *Capiti* ac *Utero* imprimis dicatum est. Hinc adhibetur utiliter in *Catarrhis*, *Epilepsia*, *Apoplexia*, *Lethargo*, *Vertigine*, *Suffocatione* ac *Inflammatione Matricis*, *profluvio Sanguinis*, ac *Seminis*, quod ad naturalem statum reducit: In fluore albo mulierum. Cæterum globuli è *Succino* ad *Oculorum* defluxiones miro successu auxiliari dicuntur, annexi occipitio. *Ufus* præcipuè albi, tam *internus* quam *externus* esse potest. *Schrod.*

Pro *Succini Historia*, vide *Gæbelium*, *Hartmannum*, *Wigandum*, *Hessum*, &c. qui de illo fusè scripserunt.

A. 12. *Halcyonium*, *Spuma Maris Offic. Froth or Foam of the Sea*. Oleosa quædam aut bituminosa & tenuis substantia est *Maris* superficiæ innatans, verum unde ortum habeat mihi hætenus incognitum fateor. Nonnulli ab excrementis, lacte seu spermate piscium, aliorumque marinorum Animalium partibus originem ejus deducunt. Alii ab aliis Animalibus, quæ gelatinam referunt, Zoologis Zoophyta dictis: alii è succis Plantarum marinarum: alii denique (in quorum sententiam maximè propendo) mineralibus bituminosis submarinis ortum suum debere arbitrantur, effluviis *Maris* aestu & agitatione in *Spumam* conversis.

SECTIO QUARTA.

De Salibus Medicamentosis.

Salia nihil aliud esse videntur, quàm corpora mineralia pellucida, in aqua solubilia, ac in crystallinam formam coagulabilia. *Salia*, quæ medico usui inserviunt, adeoque præparatis inde parandis materiam suppeditare apta sunt, triplicis quidem sunt generis, pro triplici scilicet mundi regno, *Minerali*, *Ve-*

Vegetabili, Animalis: attamen hoc loco non nisi de Mineralibus agere convenit.

N. B. Titulus cum rebus subiectis, inquit *Paulus Ammannus*, non convenit accuratè, nisi Mechanicè. Nam e. g. *Vitriolum*, & aliæ species Salis hic enumeratæ, non tam sunt Salia, quàm Metalla ipsa, soluta, cum tota sua substantia. Nam si quis vel *Cupri* vel *Ferri* metalla in *Aqua Forti* solverit, illa, abstracto menstruo nonnihil, convertuntur in *Vitriola*, & denuò violentiori igni commissa, in pristina metalla redeunt. Porro si quis vel *Auri* vel *Argenti* in *Aqua Regis* vel *Aqua Forti* solverit, illa, evaporato menstruo aliquousque, convertuntur totaliter in *Vitriola*, & denuò violentiori igni commissa, in pristina Metalla eodem pondere eademque substantiâ redeunt.

I. De Sale Communi.

A. **SAL** Communis *Offic.* Sal ex puteali aqua coctus albißimus *Mer. Pin.* 217. Sal excoctus *Kentm.* p. 9. **Salt.** Nihil aliud est quàm falsugo Aquæ falsæ Fontanæ, quæ humiditatis aquæ evaporatione inspissata in granula hexaëdrica concrevit, colore albo. *Vires.* Eisdem viribus cum Sale marino pollet.

Modus excoquendi Salem ex aquis Fontium Salinorum in *Cestria*, *Wigornia*, & *Staffordia*, describitur à doctissimo viro & amico nostro D. *Johann. Raio*, in *Sylloge Vocum Anglicarum*, p. 204. Item in *Actis Philosoph. Lond.* N° 53. p. 1060. N° 54. p. 1077. N° 142. p. 1059. & N° 156. p. 489. Necnon à D. *Collins* in *Tractatu de Sale & Piscatura*, p. 5. & D. *Plot.* *Hist. Nat. Stafford.* p. 93.

Hoc in loco addere possem modum purificandi Salem, qui fit vel dissolvendo Salem rupeum vel Salem marinum Gallicum in aqua marina, deinde coquendo, clarificando, & in granula coagulando, prout in *Effexia* administratur: idem serè est cum Salis *Cestriensis* depuratione.

N. B. In culinis nostris præter hunc Salem non rarò utimur Sale ex aqua marina cum Sale marino coctione facto. Sal deterioris notæ ad carnes & pisces condiendos adhiberi solet. Vide *Aquam marinam*.

Aqua è fontibus salinis mediterraneis ad siccitatem excoquatur, rursus ejus Sal tantillo aquæ fontanæ diluatur, cryсталlos verè cubicas dat (ut scribit clarissimus D. *Mart. Lister*, M. D. in *Exercitatione sua de Fontibus Medicatis Angliæ*, p. 4.) in medio verò superiore latere, sive plano, velut quædam perspicuitas, puta à materiæ deficientia sive inanitate, habetur: reliqua autem quinque latera solida & albida sunt.

Idem etiam laudatissimus Autor observat, quòd non obstante proximâ affinitate, quæ inter Salem puteorum mediterraneorum & marinum intercedit, eos tamen specie inter se differre: siquidem anguli cryсталlorum Salis puteorum mediterraneorum integri sunt, ut dictum; cum anguli Cryсталlorum genuini Salis marini, aut eorum saltem aliqui in plana triangularia abscissi sunt, ab uno cuborum latere: unde colligit aquam marinam ab omnibus aliis aquis distinctam esse. Qui plura de his velit, eundem doctissimum Autorem consulat, apud quem utriusque generis figuras inveniat. Videsis etiam *Act. Philosoph. Lond.* N° 156. p. 492.

II. De Sale Gemmæ.

1. **SAL** Gemmæ *Offic. Charle. Foss.* 7. Sal Gemmeus *Aldrov. Mus. Metall.* 301. Sal fossilis qui & Sal Gemmæ in Officinis dicitur, *Worm. Mus.* 20. Sal fossilis pellucidus Pannonicus, qui dicitur in Officinis Sal Gemmæ *Kentm.* 9. Sal ex Pannonia effossus *Calc. Mus.* 146. **SAL Gem.** Est substantia Cryсталlina hexagona, quæ in fodinis lapidum invenitur, saporis acris & falsi. Ex *Italia* & aliundè ad nos tranſvehitur. In Minori *Polonia* Salem instar ingentium faxorum, adeò duritiæ lapideæ solidum, ferro excindi constat, ut nedum molâ teratur ad hominum usum, sed ex illo domos & oppida ædificari. Vasti montes & plagæ ex solo Sale constantes in *Hungaria* & *Lithuania*, &c. Vide *Cromerum* de *Polonia*. *Vires.* Hoc etſi easdem vires cum Sale communi obtineat, substituique eidem queat, rarioris tamen usus est in Praxi Medica; crebrioris in Chymica, ubi in Solutionibus Metallorum Sali communi antecellit. Commendatur tamen peculiariter. Foresti experientiâ, ad stercora dura eliquanda, adeoque ad Colica tormina arcenda. *Schrod.*

2. Sal fossilis Marburienſis, Sal fossilis Angliæ *Mont. Exot.* 12. **Rock-Salt.** Ex Marburia in Comitatu *Cestriensi* delatus est. Substantia est cryсталlina, & hexagona, pellucida, saporis acris & falsi. Cum Sale Gemmæ viribus convenit. *Marburia* in *Cestria*, Anno Dom. 1670. detecta est Petra Salis nativi, unde emanat liquor falsus valdè acutus. Petra hæc inter 33 & 34 ulnas nostræ mensuræ à terræ superficie aſſurgit, estque duritiæ & puritate Alumini par, inque pulverem comminuta in Salem candidum & acutum abit. Qui plura de hac rupe ſcire deſiderant, *Act. Philosoph. Lond.* N° 66. p. 1015. consulant. Ex hoc Salis genere ex *Cestriæ* comitatu per mare ad nos delati prope *Camalodunum*, & *Colcheſtriam*, aliisque locis efficitur

Sal

Sal ille, qui apud *Efficienses* **Salt upon Salt**, i. e. Sal super Salem, seu Sal ex Sale dictus, dissolvendo Salem fossilem in Aqua marina, coquendo, clarificando, &c. ut superius dictum est. Sal fossilis supra dicto modo solutus, in crystallos cubicas coagulatus, ideoque ab eodem D. Lister pro eadem Salis specie habetur. Monti Salem Catharticum amarum cum Sale fossili Angliæ non rectè jungit, unum enim nativum est, alterum verò artificiale.

Sal Indicum *Offic.* De quo mentio fit non apud veteres tantum, sed etiam neotericos, sed quid sit non ausim determinare; nam in Officinis nostris nunquam invenitur, nec unquam, quod sciam, in nostras regiones adfertur, ejusque loco Sal Gemmeum in Medicamentis recipitur. N. B. Sunt qui peculiare genus Salis Fossilis faciunt; alii, qui non esse Salis genus, sed Saccharum, Salis ob similitudinem nomine insignitum contendunt, quibus subscribo.

III. De Sale Nitri.

A. **SAL Nitrum** *Offic.* Nitrum *Ind. Med.* lxxxii. *Aldrov. Mus. Metall.* 321. *Worm.* 21. *Charlt. Foss.* 8. *Mer. Pin.* 217. Nitrum, Sal Nitrum, Sal Petreæ *Mont. Exot.* 12. Nitrum Moderni, Sal Petreæ *Geoff. Prælect.* 96. Halinitrum *Schw.* 380. **Sale-Petre.** Est substantia crystallina, alba, saporis acris & amaricantis, figure pyramidalis ex terra pingui excocta. Nitrum ex India Orientali importatur. Eligendum Nitrum est crystallinum, purum. *Vires.* Vim diureticam obtinet, bilem temperat, sitim sedat, & malignas sanguinis Phlogoses supprimit, dolores mitigat. Fullones maculas vestium eo abluunt. Infectores cum eodem coquunt lanas, ut forbeant colores.

Pro modis conficiendi Nitrum, vide *Historiam Regiæ Societatis.* Item *Transact. Philosoph.* N° 6. & *Lazarum Erckerum.* Conf. etiam *Penotum, Clark, Mayow,* &c.

Ingeniosissimus vir D. Martinus Lister in libro suo citato figuras crystallosum Nitri exhibuit, ut & eorundem descriptionem, quam huc transcripsi: Nitrum, in crystallos sexangulas tenues, longas, & æqualiter crassas concrevit. Hæ crystallos sua latera parallelogramma habent. Eadem autem desinunt, ex altera tantum parte, vel quadam acie, vel mucrone, pyramidis in modum acuminato, scilicet, ob varium positum duorum planorum laterum. Ex altera verò parte haud possunt crystallos, sed semper quasi præfractæ desinunt; idque monco, ne Nitri figura à me primum delineata & evulgata, & à quodam, ut video, nuper minus rectè exposita, aliquem decipiat.

Notandum autem est, mucronem illum acuminatum, quem ferè ex altera parte uniuscujusque crystallos Nitri, ad modum coni figuratum esse diximus, ex ipsa prismæ extremitate esse constitutum, & nullatenus ipsum prismæ corpus extenuari: quod tamen multos de his Nitri crystallos incautè samniare video. De simplici autem & primaria harum crystallosum concretionum loquor: nam fortuita quadam plurimarum coitione id aliquando evenire videtur. At illa quidem differentia notanda est, quod quæ sic fortuito coeunt, eadem, si denuò aqua diluantur, in perfectam sui generis speciem tandem ex toto reduci possint.

Præter crystallos verò sexangulares à Sale Petreæ diluto formatas, ibidem etiam non raro (si sal minus purgatum sit) alias quoque crystallos cubicas multangulares, nescio quasdam reperias: & hæc omnes seorsim collectæ, ex nova solutione, vel in crystallos Nitri supra descriptas abeunt, vel suam originem, si alienæ sunt, fatentur. Sal autem Nitri dictus in ignem impositus, illico flammam tenuem concipit, & ex toto non sine strepitu absumitur, omnino nihil capitis mortui, aut Colcotharis, ut Chymici loqui amant, relicto.

Nitrum Antiquorum vel Natron, duplex est; vel species Salis Armoniaci, vel Salis calcarii, sed quid fuerit non ausim determinare. Recentiorum Nitrum Salsæ Fossilis an Animalis sit, à multis nunc dierum controvertitur. Qui Animalis originis esse volunt, affirmant nullibi in India (unde maxima ad nos copia adfertur) quam in locis illis, quos *Vespertilio* maxime frequentant, inveniri. Sententiæ etiam suæ favere existimant, quod qui in Angliæ literis Regis patentibus Salis Petreæ conficiendi jus habent, terras illas omnes circa Londinum in quas latrinarum sterora projici solent annuo pretio conduxerunt. Ex altera parte, qui Nitrum Recentiorum Salem fossilem esse opinatur, aquas pluvias terram perluentes in causâ esse volunt, quod non ubique invenitur. Quod ad me attinet, quamvis agnoscam Salem Petreæ in Columbariis locisque consimilibus copiosissime inveniri, observavi tamen salem quendam nativum in vetustis areis terrenis, locisque ejusmodi opacis, longè diversum à Sale calcario ingeniosissimi viri D. Martini Lister, M. D. qui ibidem etiam invenitur, qui & figurâ suâ, & sapore, & deflagrandi modo, aliisque accidentibus, cum Sale Petreæ communi exactè congruebat. Ab Aldrovando Sal Petreæ nuncupatur *Mus. Metall.* 324. at Boerhavio Sal Nitri factitii primum est, *Nov. Meth. Chem.* Apud Kentmannum invenio

Nitrum candidissimum, plumosum, & stalacticum ex parietibus & cellariis, i. e. *Salem Calcarium Listeri*. Flavum plumosum in cellariis; Nitrum etiam efflorescens ex terra nigra.

Sal Salis Petreæ Offic. Salt-Petre-Salt. Salis marini species est adhærens lateribus & fundo doli-
Secting-Tubs dictorum, in quæ liquor post primam Salis Petreæ depurationem ex ahenis cochlearibus infunditur ad refrigerandum usque dum digitus absque læsione in eum immitti possit, antequam in vasa ad crystallizandum, *Shooting-Traps* dicta, expromitur. Quotidiani usus in culinis est. Vide *D. Collins* librum superius memoratum, p. 125. ubi affirmat coctione validâ glebas effici Sacchari panum conicorum aut Aluminis magnitudine, quæ à *Pharmacopolis* nonnunquam Salis Petreæ depurati nomine divenduntur.

IV. De Alumine.

A. 1. **A**lumen rupeum *Offic.* Alumen rupeum five crystallinum *Ind. Med.* vii. Alumen factitium *Mer. Pin.* 217. Alumen *Schw.* 362. Alumen factitium pellucidum *Calc. Mus.* 169. Alumen rupeum candidum & pellucidum *Aldrov. Mus. Metall.* 334. Commune vulgò **Common Alum.** Est substantia alba, Crystallina, saporis acris, urinosi, austeri, & astringentis: Invenitur vel in venis per se; vel excoquitur ex aquis mineralibus; vel ut in *Anglia*, ex lapidibus seu Mineris aluminosis ustis (addita Urina, & Kali) extrahitur; ex Pyrite aluminoso, observante *Schwenkfeldo de Fossil.* p. 362. *Vires.* Exiccat, astringit, incrassat, &c. Usus Aluminis crudi præcipuus externus est (quamvis ab Empiricis & interne pro febrifugo exhiberi soleat) ac imprimis in Angina & Columella laxata. *Præp.* Alumen Zuccarinum, & Saccharinum *Offic.* Ex Alumine rupeo, albumine ovorum & aquâ rosacâ fit. Alumen magni & varii usus est apud Aurifices, Tinctores seu Infectores, Librarios, Coriarios, &c. vide *Wormii Mus.* p. 23, 24.

Figuræ Aluminis, ejusque pariter descriptio à *D. Lister* libro prædicto traditur his verbis: *Lixivium* è cremato Aluminis metallo diuque servato percolavimus, siccavimusque: id autem Crystallum albus ad hunc modum figuratus dabat; nimirum his figura paululum compressa est, ex altera parte, quasi vertice dicas, planum sexangulum habet, ex altera & opposita parte sive basi plano similiter sexangulo insidet; ejus autem latera claudunt tria sexangula plana, quibus alternatim bina plana quadrangula inter-

ponuntur, ita quælibet integra aluminis Crystallus ex undecim planis conficitur: Scilicet è quinque sexangulis, & senis quadrangulis planis: illa autem ipsa Crystallus, quam descripsi, quinquaginta circiter grana pendebant. *N. B.* Simplex autem & primaria universorum salium concretio bene & diligenter notanda est. Nam ubi ea diutius processit, Crystalli quidem magnitudine augeri videntur: At id serè fit plurimum salium integrorum & primariorum conjunctione quadam fortuita, unde veræ & naturalis Crystallorum figuræ confusio oritur.

Pro modis conficiendi Alumen vide clarissimum *Raium de Vocabulis Anglicis inusitatis*, p. 201. Item *Transact. Philosoph.* N^o 142.

A. 2. Alumen Rochi *Gallis Offic.* Alumen Romanum five rubrum *Ind. Med.* vii. Alumen Rochæ *Aldrov. Mus. Metall.* 332. *Worm.* 23. Alumen Rupeum seu Rochæ *Charlt. Foss.* 9. Alumen factitium ex præduro lapide subrubro confectum *Calc. Mus.* 169. Alumen Romanum quibusdam **Roch-Alum.** Rupeo simile est, sed pallidè rubens. Ex *Italia*, *Smyrna*, &c. ad nos transportatur. Conficitur eodem modo quo rupeum, sed sine additione Urinæ & Kali, ut nos monuit eruditissimus *D. Tancredus Robinsonus*, *M. D.* in litteris ad me datis. *Vires.* Cum priore viribus convenit. Modus efficiendi Alumen rupeum *Solfæ* in *Italia* accuratè traditur à *D. Paulo Boccone* in *Museo suo della Fisica*, &c. p. 241. quem consulat Lector. In plerisque convenit cum præparatione Aluminis vulgaris.

A. 3. Alumen plumosum *Offic.* *Ind. Med.* vii. Alumen plumeum five *Trichites Schrod.* iii. 477. Alumen plumæ quod Scissile Latinis *Aldrov. Mus. Metall.* 331. **Plumose or Feather'd Alum.** In *Insula Melo* reperitur. Nascitur (Autore *Tournefortio*) particulis majusculis materiæ levioris atque friabilis, interstinctis lucidioribus & argenteis filamentis haud paulò tenuioribus quam molliissimum sit sericum, speciemque Pennarum exhibentibus, digitumque unum aut alterum longis, gustuque Aluminis communi similibus, à quo non aliter differt quam quòd hujusmodi habeat filamenta, quòd ad cætera quidem legitimus sit Sal, ideòque aliud planè quàm *Lapis Amiantus*, etsi Viri rei naturalis haud imperiti errore magno utramque idem esse judicârunt: Patet verò hæc inter se manifesto differre, quum prius Aluminis aut Salis combustibilis gustum præ se ferat, & in aqua dissolvi queat; alterum quidem sit substantia lapidea & insipida, quod nec in aqua solvi, nec in igne consumi, sed oleo sic molliiri possit, ut in filamenta facillimè trahatur.

Hoc

Hoc vidit Tournesfortius (Itin. Edit. Angl. Vol. i. p. 128.) in fodinis aluminosis apud Melon Insulam, ubi olim etiam viderat Dioscorides, qui Alumen Scissile id vocat, ut ex hoc loco patet: Optimum est Scissile, præsertim recens, candidissimum, gustu perquam astringens, gravè olens, calculorum expers, nec glebulosè aut assulosè compactum, sed sigillatim in capillamenta quædam canescentia debescens; quale est, quod Trichites, quasi capillare nominatur, in Ægypto natum. Discrimen utique inter hoc Alumen Scissile atque Amiantum lapidem notavit Scriptor idem: Reperitur quoque lapis huic Alumini per similes, qui gustus judicio dignoscitur, quod non astringat. In capite etiam de Amianto hæc sunt verba: Amiantus lapis in Cypro nascitur, Scisso Alumini similis, quo utpote flexili, telas & vela tantum spectaculi gratiâ texunt, quæ ignibus injecta ardent quidem, sed flammis invicta splendidiora exeunt. Nec ignotum fuit hoc alumen Plinio, qui ita scribit: Concreti Aluminis unum genus Schiston appellant Græci, in Capillamenta quædam canescentia debescens, unde quidam Trichitin potius appellavere. Hist. Nat. Lib. xxxv. Cap. xv.

V. De Borace.

Borax, Chrysocolia factitia, Santerna Plinii, & Tincar Offic. Borax Charlt. Foss. 9. Dougl. Ind. xviii. Nitrum unde Borax coquitur, Aldrov. Mus. Metall. 324. Nitrum factitium Arabice Borax Worm. 21. Nitrum nativum aliorum fossilium modo in terra repertum durum, & spissum, ut Lapidem non abs re assimilari possit. Tincar est Arabum, ex quo Chrysocolia Græcorum, Borax eorundem Arabum, Venetiis conficitur Calc. Mus. 162. Nitrum nativum Scissile, durum, ex quo Venetiis Borax coquitur Kentm. Baurach Mayern. Syntag. i. **Borace.** Est substantia Crystallina alba, glaciei instar, & Alumini non absimilis, saporis acris, salini, & Nitrosi. Duplex est, Nativa & Factitia. Quæ Nativa dicitur facta est ex Chrysocolia nativa, calcinata, soluta, cocta & crystallisata. Factitia etiam duplex est, vel simplex, vel composita; simplicem conficiunt ex Nitro & Urina puerorum invicem commistis & coagulatis. De Composita vide Schroderum p. 280. Vires. Vim habet Urinam, Fætum, Secundinas, & Menses pellendi, & ad Venerem stimulandi. N. B. Chrysocolia Nativa, Tincal, tantum in Ærariis metallis invenitur, & solum ex ære fit. Si quandoque in Aurariis, Argentariis, aut Plumbariis invenitur, venæ illorum cum ære miscentur. Utuntur illa Au-

rifices & Pictores. Bonitatem ejus ex colore & vires æstimant; nam nativa omnis viridis est & ad saturitatem; quoque magis ad Smaragdi accedit viriditatem, eo melior censetur; alia dilutè vires, quæ pessima.

VI. De Vitriolo.

Varia sunt ejus genera, pro natura mineræ, quam in se continent, differentia. Præcipua autem quorum hoc tempore est existimatio, sunt

A. 1. Vitriolum Cæruleum seu Romanum Offic. Vitriolum cæruleum Charlt. Foss. 11. Vitriolum Cyprinum cæruleum Worm. 25. Chalcalthum Cyprum Aldrov. Mus. Metall. 339. Matth. 1363. Atramentum cæruleum Romanum coctum Kentm. 14. **Blue or Roman Vitriol and Celestial Stone.** Est substantia Crystallina, cærulea, seu Sapphiri instar, compacta, ut saccharum candum, saporis acidi, austeri, acris & astringentis, sitque vel ex Solutione & Crystallizatione Cupri: vel ex Cypro aut ex India Orientali ad nos adfertur. Vires. Calfacit, siccit, astringit vehementer, constipat, vomitum ciet, Lumbricos fugat. Schrod. Hoc cæteris ad medicamenta præfertur: valdè ad scabiem & ulcera ex Lue Venerea contracta commendatur. Worm. Basis est Pulveris Sympathetici Digb. Scabiem & lepram sanat.

A. 2. Vitriolum viride Offic. Charlt. Foss. 11. Vitriolum viride seu Romanum Tourn. Math. Med. 185. Chalcanthum viride factitium; Atramentum Sutorium Officinarum Schw. 373. Atramentum viride durum solide coctum 13. **Green Vitriol or Copperas.** Est substantia Crystallina, herbacei coloris, magis granulatam, grumosumque instar Salis communis, saporis præcedentis, in Anglia variis in locis facta, ex solutione & Crystallizatione quorundam lapidum ferrugineorum cum aliqua parte ferri, vide Raium de Vocabulis inusitatis, p. 197. Item Transact. Philosoph. N° 142.

Wormius etiam hujus generis Vitrioli in Anglia parandi modum descripsit, quem quia brevis est, ipsius verbis huc transcribere non pigebit: Lapidem ex quibus vitriolum excoquitur ad littus Orientale Insulæ Sheppey reperiuntur. Ubi ingentem horum copiam collegerunt, per spatiosam aream terræ mistos spargunt, donec imbrium illuvie, accedente Solis æstu & calore in terram seu pulverem redigantur subtilissimum, nitrosum sulphureo odore prætereuntes offendunt. Interea aqua per hanc terram percolata in subiecta vasa per tubulos & canales derivata in vasa plumbea ampla sex vel septem dierum spatium coquitur ad

ad justam consistentiam, tum in aliud vas plumbeum effunditur immixtis asseribus aliquot, quibus adhaerens concresecat vitriolum omnibus refrigeratis. Nullo alio vase coqui aut contineri hoc lixivium potest quam plumbeo; cui ut facilius ebulliat, ferri injiciunt particulas, quæ à lixivio plane consumuntur. Modus etiam Vitrioli Brickleia in Essexia conficiendi à celeberrimo Viro D. Johan. Raio vicino & amico nostro traditus in libello supracitato, cum processu Wormiano convenit: Eandem methodum in Vitrioli præparandi domibus Waltoni & Ramsia in eadem Essexia sectatam observavi. Verùm in Italia ejus præparandi modus diversus est, ideoque Matthioli verbis dictum damus:

Mineræ globas in acervos mediocres conjectas igne supposito accendunt. Sponte autem urunt semel accensæ, donec in calcem seu cineres maxima ex parte reducantur. Mineram combustam in piscinas aquæ plenas obruunt, agitando, miscendoque eam, ut aqua imbuatur substantia Vitrioli. Aquam hanc Vitriolatam à sedimento claram hauriunt; & in caldaria plumbea transfundunt, quam igne supposito decoquunt. Verùm dum ebullit, in medio cocturæ vel parum supra vel infra addunt modicum ferri veteris vel glebæ æris, juxta intentionem operantis. Aquam Vitriolatam decoctam in vasa lignea transfundant, in quibus frigesceat congelatur in Vitriolum.

Vitriolum viride à prædicto D. Lister pariter depingitur & describitur his verbis: Vitriolum autem viride à Pyrite ferreo nascitur; cujus maturæ & perfectæ crystalli perpetuo ex utraque parte mucronatæ sive acuminatæ sunt, & ex decem planis lateribus inæqualibus constant: scilicet, ex quatuor mediis planis pentagonis, & ad singula quæque extrema acuminata, terna plana triangula habent; perinde ut in figura representatur.

Duo sunt Vitrioli viridis genera, alterum obscure viride in hac nostra Insula nascitur, in Gossario quod aliàs Vitriolum Germanicum dicitur, intensi & viridi coloris. Tournefortius id factum esse narrat è fontibus qui minera Vitriolica abundant; alii verò id ibi hunc in modum parari contendunt: Calcinantur Lapides Pyrites dicti, calcinat. liberiori aëri exponuntur, sic enim vel spontè efflorescit Vitriolum, vel per elixationem cum aqua prodit. Id.

Hic mentionem aliquam facere libuit Colcotharis, hoc est Capitis mortui Vitrioli, Chalcitis vulgò dicti, quia recipitur in nobilissimam illam Theriacæ Andromachi Offic. Venetæ vulgò compositionem, ut nigro colore inficiat, istam opiatam, inquit Ammannus. Negantium ratio sequens est; quòd non sine suspitione malignitatis vel corrosione ingre-

diatur Theriacam, cum sit escharotica & caustica; idè meo quali quali judicio præstaret illud in prædicta compositione plane omitti. N. B. Colcothar aëri expositum nobiliores inde virtutes attrahit; notumque est ex praxi Medicinæ quotidiana, quòd Dysenteriam sympatheticè curet.

A. 3. Vitriolum album Offic. Worm. 25. Geof. Prælect. 106. Charlt. Foss. 11. Chalcanthum candidum Aldrov. Mus. Metall. 339. Atramentum album durum fossile Kentm. 13. **White Copperas.** Est substantia alba granulosa instar Sacchari albi concreta, sapore præcedentis, & ex Germania ad nos adfertur. Gosselariæ fodinis Vitriolum album reperitur stiria figurâ, translucidum. Vires. Cum priore viribus convenit. Præ reliquis usum habet in Collyriis; præparatur quoque ex eo in aqua soluto & coagulato vomitivum eximium; quæ solvunt in aqua, & coquant ad consistentiam Sacchari albi Geof. Prælect. 106. Ergò errare existimat qui cum Tournefortio affirmant id factum esse è Vitriolo Anglico in aqua soluto, & igni cocto, donec aqua evaporetur, quòd residit, grumis majusculis constabit Saccharo albo similibus, quod aëri expositi subflavum externè induunt colorem. Vitrioli magnus usus est in aquis stipticis conficiendis, in arte tinctoria & atramentosa. Vide Canaparium de Atrament. Venas seu Mineras Vitrioli diversimodas, vide apud Kentmannum in Catalogo, & Schwencfeldum de Fossil. qui Pyritas Atramentosa vocat.

SECTIO QUINTA.

De Fossilibus Metallicis Medicamentosis.

Mineralia sunt ea quæ non sunt Vegetabilia, nec Animalia, attamen in hac Sectione agemus tantum de fossilibus metallicis, i. e. Metallis perfectis & imperfectis. Quod ad alia Mineralia attinet, in prioribus Sectionibus ea tradidimus. Hæc dividi possunt in tres classes, scilicet Mineras, Metalla, & Metallis affinia.

I. De Mineris.

Minera est terra sive Materia, ex qua Mineralia & maxime Metallica fiunt. Hæ Minera in infinitum ferè variant, quoad colores, figuras, mixturas, aliæque accidentia; pro quibus consulantur Musæa Curiosorum, & Catalogi Fossilium, præsertim